

Hlutharium in febre bis <sup>a</sup> interea valde laborare, et A minime venire potuisse. Eodem anno supradictus Walah mortuus est, et ceteri nonnulli infidelium. Eodem anno Hetti beatus Treverensis archiepiscopus <sup>a</sup>, divino iussu instinctus, asportavit corpus sancti Castoris de loco in quo antea requiescebat, qui vocabatur Caradona <sup>b</sup> ad locum qui vocatur Confluentes, ubi Mosella in Renum intrat, ad monasterium quod ipse supradictus archiepiscopus a fundamento construxerat, sicut ei in visu praecepit sanctus Maternus, qui erat tercius Treverensis archiepiscopus. Et in festivitate sancti Martini venit sanctum corpus ad Confluentes cum magno honore; et in crastina die Dominico consecravit supradictus pontifex illam ecclesiam in honore sancti Castoris et omnium sanctorum confessorum. Et post consecrationem suscepit sanctum corpus, et collocavit illud in ecclesia honorifice, sicut dignum erat. Octavo vero die post consecrationem, quod est 14. Kal. Decemb. die Dominico, venit dominus imperator cum coniuge et

liberis, et post missarum sollempnia obtulit ibi maximam dona in auro et argento, et mansit ibi duos dies et ~~in eadem nocte~~, et honoravit eum supradictus pontifex cum coniuge et liberis et omni cum familia sua donis innumeris. Dominus imperator rediit Aquas ad sedem suam, et ibi totam hiemem permansit.

Anno vero 24 (837) praenunciavit imperator, ut cum omni exercitu voluisset ire Romam cum filiis suis et Hludowico, et statuit seditiones <sup>c</sup> in nonnullis locis contra Danaos. Illi vero Danai nave venientes ad unam seditionem, et interfecerunt ibi innumerabilem multitudinem Christianorum; et ibi cecidit Hemminch qui erat ex stirpe Danorum (sic); dux Christianissimus, et Eccihardus alius dux, et multi optimates imperatoris; et aliqui comprehensi sunt et postea redempti. Hoc audiens imperator, dimisit iter, quod praenunciatum habebat, et revertens ad praedium Gundulfi, cum omni exercitu venit Noviomagum castrum, quod situm est super fluvium Valvum.

*Explicit origo Regum atque Acta.*

#### VARIANTES LECTIONES.

<sup>a</sup> In febribus interea?

#### NOTÆ.

<sup>a</sup> Obiit an. 847. Regino.

<sup>b</sup> Carden ad Mosellam, in pago olim Megtueni.

<sup>c</sup> Stationes militum vel pagensium

ANNO DOMINI DCCCXLII

# AGNELLUS <sup>9</sup> QUI ET ANDREAS

ABBAS S. MARIE AD BLACHERNAS ET S. BARTHOLOMÆI  
RAVENNATIS.

## NOTITIA HISTORICA IN AGNELLO.

(Apud Fabricium, Bibl. med: et inf. Lat.)

Agnellus, qui et Andreas, abbas S. Mariæ ad Blachernas et S. Bartholomæi Ravennæ circa annum Christi 842, scripsit Librum Pontificalem, sive Vitas episcoporum Ravennatum, a sancto Apollinari usque ad Petroniacum, et, qui ei circa annum 856 successit, Georgium. Primus ex codice bibliothecæ Estensis edidit, dissertationibusque observationibus et appendice monumentorum veterum illustravit Benedictus Bacchiolus, abbas S. Mariæ de Laeroma ordinis

S. Benedicti congregationis Casinensis, Mutinae, 1708, in 4<sup>o</sup>; et tomo II Scriptorum rerum Italicarum, eruditissimi Muratorii, Mediolani 1725, in-fol. Confer *Journal des savants* 1710, nov., pag. 563; *Neven Bucher-Saal*, tom. I, pag. 246; *Acta eruditorum*, anno 1710, pag. 550, et an. 1724, pag. 49, etc. Vitam sancti Apollinaris exhibent etiam *Acta sanctorum*, tom. V Julii, pag. 350.